

noris malum, quam Deum offendisse, ita, vt odio habeat malum culpæ, plusquam cætera mala odio digna: ratio est, quia actus pfectus charitatis est diligere Deum super omnia appreciatiuè, id est vt præ eius amore, & mandatorum obseruantia, postponat omnia. † & cum contritio sit pfectus actus charitatis, debet esse maximus tantum appreciatiuè, ita quod si daretur peccatori optio, potius deberet eligere mortem quantumcunque ignominiosam, quam velle peccasse, Innoc. in c. omnis, extra de pœnit. & remiss. quamuis huiusmodi comparationes, Alex. S. Tho. & Bonau. d. 17. minime esse hominibus parum in virtute exercitatis proponendas notant, quoniam esset illis certissima ruine occasio. Non tamen dolor iste debet esse maximus intensiuè, vt erat Adriani opinio q. 2. de pœnit. ar. 2. & quolib. 5. art. 3. dicentis: Ad veram pœnitentiam requiri, vt homo doleat, secundum omnem suum conatum. Hinc sequitur non esse culpabile, si homines filios, aut honores, aut alias res charas amittant, intensius eis illa displiceant, quam peccatum, quia sensibilia sunt propinquiora obiecta, quam spiritualia, & quo obiecta sunt propinquiora, eo uehementius mouët, & ideo amor sensibilibum potest esse interior, quam spiritualium, atq; ad eodisplicentia amissionis eorum, quam displicentia amissionis spiritualium, Sotus in 4. sentent. dist. 17. q. 2. art. 4. secunda conclusio. Nec etiam dolor, qui necessarius est in contritione, debet æquari morti Christi, cuius dolor excessit omnem alium dolorem presentis uitæ, D. Thom. 3. par. q. 46. art. 6. Nec doloribus damnatorum, uel eorum, qui sunt in purgatorio, qui excedunt omnem dolorem huius seculi, c. nullus, de pœnit. dist. 7. Nec æquari debet dolori inordinato, qualis est disperatorum, ueluti ipsius Iudæ, Chain, & Antiochi, c. Iudas, cap. scelerator, de pœnit. dist. 1. Sed debet esse summus comparatiuè, ut sup. diximus.]

8 Secundus† uerò dolor sensitius re-

quiritur non de necessitate, sed de congruitate: ratio est, quia Deus non requirit ab homine, nisi possibile. Sed habere istum dolorem nõ est in potestate hominis, etiam præsupposita gratia. ergo: & ita intelligitur illud Augustini: Non sunt in te uiscera charitatis Christianæ, si plangis corpus, à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus. Atque huius exempla in Niniuitis habemus, & in Dauide, & Petro amarissimè lacrimantibus. Vnde inquit, Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, &c. Nec etiam obstat, quod inquit August. Sciat se culpabiliter reum, qui desit damna amici, uel temporalia, & non peccata. Nam secundum D. Thom. hoc intelligitur, quando illud contingeret ex infirmitentia, uel paruitate doloris de peccatis; secus si hoc proueniret ex duritia complexionis, uel ex magnitudine doloris, uel quia non uult ab aliis uideri, cum flet: tunc enim non est reus, ita Arch. Flor. 3. par. tit. 14. cap. 18. Sotus in 4. sent. dist. 17. quæst. 2. art. 4.

Dolor autem in cõtritione sensibilis debet esse moderatus, secundum S. Tho. 3. par. q. 84. ar. 9. ad 3. & ornatus prudentia: Possit autem homo se tanto dolore, & merore affligere, ut mortem sibi, aut morbum asciceret, quod esset homicidii genus. Vnde ad Ro. inquit Paulus, c. 12. Rationabile sit obsequium. Atque adeo dum assidua peccatorum meditatio, atque execratio noxiom dolorum gignit, cessandum est ab illa, non quod ipsa per se sit mala, sed ea ratione, qua causa est detrimenti, Sor. dist. 17. q. 2. artic. 4. concl. 4. Igitur dolor iste debet esse moderatus in ieiuniis, & aliis afflictiuis, cap. non mediocriter, de confecer. distinct. 5.

*S V M M A R I V M.*

- 1 Contritionis materia, qua peccata, & an originalia. num. seq.
- 3 Propositum non amplius peccandi in contritione.